



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Q. 161. Vtrum ius gentium totaliter distinguatur à iure naturali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

simus; aut iurauimus, si Deus acceptet, aut iure suo non cedat. Præceptum de non dissoluendo matrimonio rato nihil aliud est, quàm impotentia, quàm habet creatura auferendi vinculum, & obligationem ortam ex contractu, qua impotentia supposita, non potest transire ad alias nuptias: ergo licet Deus, vt supremus dominus possit auferre illud vinculum, & communicauerit talem potestatem summo Pontifici, non dispensauit in præcepto naturali non dissoluendi matrimonium humana tantùm auctoritate. Præceptum residentia Episcoporum, si est naturale, de quo dubitatur, fundatur in eo, quod hoc ipsum, quod est acceptare Episcopatum, est obligare se alicui Ecclesiæ ad gerendam personaliter curam illius: ergo sicut si talis Ecclesiæ possit validè cedere iuri suo, ac de facto cederet, cessaret in Episcopo obligatio residendi, absque eo quod dispensaretur præceptum, sic summo Pontifice, qui est principalis pastor omnium Ecclesiarum, remittente ius acquisitum Ecclesiæ cessat in Episcopo obligatio residendi, & tamen non dispensatur in præcepto naturali. Demum si potest Pontifex dispensare in matrimonio fratrum cum sororibus, præceptum prohibens tale matrimonium fundatur in eo, quod fratres, & sorores non possunt validè humana auctoritate extra casum necessitatis sua corpora mutuo tradere. At hoc non impedit, quominus possit Deus vt supremus dominus omnium corporum validè tradere corpus fratris sorori; ergo licet diuina auctoritate communicata summo Pontifici frater possit tradere corpus suum sorori, tamen præceptum naturale prohibens, ne frater humana auctoritate matrimonium contrahat cum sorore, remanet indispenabile.

30. Dicendum secundo contra sextam sententiam: lex naturalis, vt naturalis, non potest per propriam Epicheiam corrigi. Probatur: nam propria Epicheia est, cum datur lex generalis, & occurrit casus particularis oppositus à lege, in quo propter speciales, circumstantias corrigimus legem, & statuimus faciendum contra legem generalem. Exempli gratia Epicheia esset, si daretur lex generalis prohibens, ne peregrini ascenderent muros ciuitatis, & hostes inuaderent ciuitatem, itaut periculum esset, ne ciuitas caperetur, nisi peregrini ascenderent muros, urbemque defenderent. In hoc casu interpretamur, quod peregrini debent ascendere muros, & per Epicheiam corrigimus legem generalem. At verò si in ipsa lege exprimitur casus particularis, & statuatur, quid in eo casu sit faciendum, tunc lex non corrigitur per Epicheiam, eo pacto, quo lex prohibens, ne peregrini ascendant muros ciuitatis, excepto casu, in quo talis ascensus sit necessarius ad urbis defensionem, occurrente tali casu, non deberet lex corrigi per Epicheiam. Sed lex naturalis scripta est in cordibus

nostris cum omnibus exceptionibus, quibus indiget; ergo &c. Probatur minor: sicut enim per lumen rationis legitimum scriptum in cordibus, quod depositum est reddendum, sic per idem lumen legitimum exceptionem, quod depositum non est reddendum ei, qui velit vti deposito contra patriam, Sicut legitimum legem, quod secretum non est reuelandum, sic legitimum exceptionem, quod secretum est reuelandum in casu, in quo ex non reuelatione secreti sequeretur damnum Reipublicæ. Sicut legitimum legem non contrahendi matrimonium cum sorore, sic legitimum exceptionem, quod matrimonium cum sorore est contrahendum in casu, in quo sit necessarium ad conseruationem generis humani.

31. Dixi in conclusione, quod lex naturalis, in quantum naturalis, hoc est in quantum scripta in cordibus, non est capax Epicheiæ, quia lex naturalis, in quantum diminutè est scripta in tabulis, est capax Epicheiæ, per quam corrigatur per exceptiones scriptas in cordibus, & omittas in paginis. Exempli gratia, hæc lex depositum est reddendum, scripta in paginis diminutè, & sine exceptione, corrigenda est per exceptionem scriptam in cordibus, per quam exceptionem statuitur, quod cum aliquis reposit depositum in damnum patriæ, non est reddendum. Disparitas legis naturalis à positua patet ex dictis. Nam quia sæpè lex positua scribitur in paginis sine debitis exceptionibus, corrigenda est per exceptiones scriptas in cordibus. E conuerso quia lex naturalis à Deo scripta est in cordibus cum omnibus debitis exceptionibus, nunquam indiget correctione: siquidem nulla exceptio est omittas.

32. Ad argumenta contraria patet ex dictis.

## QVÆSTIO CLXI.

*Virum ius gentium totaliter distinguatur à iure naturali?*

*S. Tho. quæst. 57. art. 3.*

1. **V**ideretur ius gentium totaliter distingu à iure naturali. Isidorus enim lib. 5. etymol. cap. 4. & refertur cap. ius autem, distinct. 1. diuidit ius in naturale, gentium, & ciuile, eademque diuisio affertur institutis de iure naturali gentium, & ciuili, & communiter admittitur ab omnibus theologis, ac iuris peritis: sed diuisio debet esse in membra, totaliter distincta, & quorum vnum non includatur in alio; ergo &c.

2. Respondeo quatuor esse præcipuas opiniones. Prima, quam ex iuris peritis docuit Franciscus Conanus in commentario iuris ciuili, lib. 1. cap. 6. & quam ex Theologis sequitur Vasquez 1. 2. disput. 157. cap. 2.

Rrr docet

docet ius gentium non continere vlla præcepta obligantia, sed continere solum quasdam permissiones rerum vtilium, & convenientium naturæ rationali in civili societate congregatæ, in quibus conuenerunt omnes, vel penè omnes gentes, quales sunt permissiones, vt agri diuidantur, vt legati aliarum gentium admittantur, vt fiant contractus emptionis, & venditionis, vt per bella sumatur vindicta de iniurijs, vt tempore belli fiant induciæ &c. Iuxta hanc opinionem ius gentium distinguitur totaliter à iure naturæ. Ius enim naturæ continet omnia præcepta naturalia obligantia: ius autem gentium continet solas permissiones non obligantes, in quibus conuenerunt omnes, vel penè omnes gentes.

Hæc opinio rejicitur à Suario lib. 2. de legibus, cap. 18. & potest impugnari. Nam communiter dicitur iure gentium omnes populos obligari ad non violandam immunitatem legatorum, ad non lædendos hostes tempore induciarum, ideoque cap. ius gentium distinct. 1. ex Isidoro lib. 4. etymolog. cap. 6. inter iura gentium recensetur legatorum non violandorum religio: sed iura, quibus omnes populi obligantur ad non violandam immunitatem legatorum, & ad non lædendos hostes tempore induciarum, sunt præcepta obligantia, ac non sunt meræ permissiones: ergo ius gentium continet, non solas permissiones, sed etiam præcepta obligantia.

3. Secunda sententia Suarj lib. 2. de legibus, cap. 19. num. 3. docet ius gentium continere solum præcepta positiua communia omnibus gentibus. Iuxta hanc etiam opinionem ius gentium totaliter distinguitur à iure naturali, quod continet sola præcepta naturalia.

Reijcitur hæc opinio. Nam ex dictis quæst. 6. præcepta positiua sunt, quæ præcipiunt, vel prohibent actiones intrinsecè indifferentes ad hoc, vt præcipiantur, vel non præcipiantur: sed præcepta non violandi legatos, non lædendi hostes tempore induciarum, sunt de iure gentium, & tamen prohibent actiones intrinsecè malas, & non indifferentes, vt prohibeantur, vel non prohibeantur: ergo ius gentium non continet sola præcepta positiua.

Reijcitur secundo. Nam vix inuenitur vllum præceptum positiuum humanum, commune omnibus gentibus. Et ratio est, quia moraliter est impossibile, vt omnes, vel penè omnes gentes conueniant in statuenda lege de re indifferenti.

4. Tertia sententia communis Iuristarum docet ius naturale esse, quod aliquo pacto est commune omnibus animalibus, etiam brutis, quia ordinat actiones, quas etiam bruta instinctu naturæ cognoscunt esse faciendas, quales sunt coniunctio maris cum foemina, quam vocamus matrimonium, filiorum generatio, & educatio &c. ius gentium esse,

quod est proprium hominum, quia ordinat actiones hominis proprias, ex. gr. spectantes ad religionem in Deum, pietatem in parentes &c. quas actiones soli homines lumine rationis cognoscunt esse faciendas, ideoque in eo omnes gentes humanæ conuenerunt.

5. Hanc sententiam satis expressè docuit ius civile. ff. enim de iustitia, & iure §. Cuius study ex Vlpiano dicitur: *ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam ius istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quæ in terra, marique versantur, auium quoque commune est. Hinc descendit maris, atque foemina coniunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus enim cætera quoque animalia, feras etiam brutis iuris peritia censerit.*

*Ius gentium est, quo gentes humanae utuntur, quod à naturali recedere licet facile intelligere, quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune est, veluti erga Deum religio, ut parentibus, & patriam pareamus. Idem habetur institutus de iure naturali gentium, & ciuili §. Ius naturale*

6. Hanc sententiam præter aliquos Iuristas, ac præsertim Franciscum Conaun in comment. iuris ciuili lib. 1. cap. 6. & Laurentium Vallam lib. 4. Elegantiarum, cap. 48. ex Theologis rejiciunt Sotus lib. 3. de iustitia, & iure, quæst. 1. art. 3. Suarius lib. 2. de Legibus, cap. 17. Vasquez 1. 2. disp. 157. cap. 1. & alij: ac quod præsertim contra ipsam posunt opponi. Opponi potest primo, quia bruta sunt incapacia iuris, ac legis: ergo absurdè dicitur ius naturale esse, quod est commune omnibus animalibus.

7. Responderi potest, quod ius naturale dicitur esse commune omnibus animalibus, non proprie, sed per quamdam similitudinem, & proportionem, quia nimirum ordinat actiones, quas etiam bruta animalia per instinctum naturæ cognoscunt esse faciendas. Quia tamen bruta, dum instinctu naturæ cognoscunt filios esse educandos &c. non cognoscunt se obligari aliquo iure, vel lege ad educandos filios, sunt incapacia iuris, ac legis propriæ. Homines è conuerso, qui dum per rationem cognoscunt filios esse educandos, cognoscunt se obligari aliquo iure, & aliqua lege ad filios educandos, sunt capaces iuris proprii.

8. Opponi potest secundo, quia sequeretur præcepta, quibus præcipitur, vt colamus Deum, vt parentibus, & patriam pareamus, vt non colamus idola, vt non blasphememus, non pieremus, non mensiamur, & vniuersim omnia, vel penè omnia præcepta decalogi, non esse de iure naturæ, sed solum de iure gentium, quod est contra Sanctos Patres, Theologos, & Philosophos morales, & contra communem sensum omnium hominum.

9. Responderi potest, distinguendo antecedens; sequeretur, quod enumerata præcepta

cepta non essent de iure naturæ genericè sumpto, de quo agunt Patres, Theologi, ac Philosophi morales, nego: non essent de iure naturæ specificè sumpto, concedo. Sicut nomen Angelus ex.gr. sumitur dupliciter, genericè nimirum pro ratione communi, in qua conveniunt omnes Angeli cuiuslibet chori, & specificè pro solis Angelis ultimi chori, sic ius naturale sumitur tum genericè, tum specificè. Ius naturale genericè est, quod oritur ex ipsa natura rerum, adeoque continet præcepta, quibus præcipiuntur, & prohibentur actiones, quæ ex sua natura exigunt præcipi, vel prohiberi. Ius naturale diuiditur in commune brutis, & proprium gentium humanarum. Commune brutis est, quod ordinat actiones, quas etiam bruta instinctu naturæ cognoscunt esse faciendas, vel non esse faciendas; & hoc retinet nomen generis, & ad vitandas æquiuocationes vocari potest ius naturale specificè. Proprium gentium humanarum est, quod ordinat actiones, quas soli homines lumine rationis cognoscunt esse faciendas, vel non faciendas. Et hoc, quia per illud gentes humanæ conveniunt inter se, & disconveniunt à brutis, vocatur ius gentium. Aristoteles, dum diuidit ius in naturale, & positivum, agit de iure naturali genericè, ac de eodem nos egimus quæst. 159. Patres, Theologi, & Philosophi morales, dum dicunt præcepta colendi Deum, honorandi parentes, & vniuersim omnia præcepta decalogi esse de iure naturæ, asserunt illa esse de iure naturæ genericè sumpto. Iurisperiti dum dicunt præcepta religionis in Deum &c. non esse de iure naturæ, sed de iure gentium, non negant hæc præcepta esse de iure naturæ genericè, sed solum negant esse de iure naturæ specificè sumpto. Licet autem sit absurdum præcepta decalogi non esse de iure naturæ genericè sumpto, non est absurdum non esse de iure naturæ specificè sumpto. Adde ipsos Iurisconsultos non ignorasse ius gentium esse ius naturale genericè, licet differat à iure naturali specificè. Iustinianus enim Imperator institutis de rerum diuisione S. Singularum dicit. Quarundam rerum dominium nascitur iure naturali, quod appellatur ius gentium. Et Caius Iurisconsultus, leg. omnes populi ff. de iustitia, & iure, dicit. Quod verò naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur, vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtuntur; quibus consonat Cicero lib. 3. de Officijs dicens: neque verò hoc solum naturæ, idest iure gentium &c: ergo cognouerunt ius gentium esse ius naturale genericè, ac ratione naturali inter homines constitutum. Ex dictis patet hanc tertiam sententiam communem Iuristarum probabilissimè defendi, eamque ex Theologis defendit Molina to. 1. de iustitia, & iure, tract. 1. disp. 6. & Azor par. 3. lib. 1. cap. 4.

10. Quia tamen videtur repugnare cõmu-

ni modo loquendi, quod præcepta decalogi non sint de iure naturali specificè sumpto, in quantum differt à iure gentium, sed solum sint de iure gentium, ideo quarta sententia, quæ vt fateretur Vasquez 1. 2. disp. 157. videtur S. Thomæ 2. 2. quæst. 57. art. 3. & quam sequitur Sotus, & Couarruias in regula peccatum, 2. par. docet ius naturale continere præcepta, quæ ex principijs naturalibus absoluta ne cessitate deducuntur, etiam non supposita societate gentium humanarum, & non suppositis consuetudinibus à gentibus introductis: ius gentium continere præcepta, quæ ex iisdem principijs naturalibus inferuntur, non absoluta necessitate, sed supposita necessitate, & consuetudinibus gentium. Hanc sententiam absolutè ego sequor, licet defendam etiam vt probabilem tertiam sententiam communem Iuristarum.

11. Dicendum igitur, explicando quartam sententiam. Lex naturalis est, quæ proximè obligat homines ab ipsa conditione naturæ: lex gentium est, quæ proximè obligat, non ab ipsa conditione naturæ, sed positis quibusdam, quæ ab omnibus ferè gentibus fuerunt introducta, præsertim in ordine ad societatem humanam.

12. Explicatur. Posita conditione naturæ, homines statim obligati sunt ad colendum, Deum, ad honorandos parentes, ad non fornicandum, non furandum, non mentendum, & vniuersim ad obseruanda omnia præcepta decalogi, ideoque præcepta decalogi spectant ad legem naturalem. At initio non erat vlla diuisio agrorum, latque terrarum, adeoque nulli termini possessionum, & gentium: nullæ fuerant introductæ legationes, nulla commercia, nullæ emptiones, aut venditiones, nulla bella, fœdera, aut induciæ, nullæ seruitutes, & sic neque manumissiones, & postliminia: non fuerant adhuc occupatæ certæ sedes, non conditæ ciuitates, nec vlla loca munita, non introducta pecunia: ergo tunc nulla erant præcepta proximè obligantia ad non mutandos terminos possessionum, ad obseruandam immunitatem legatorum, ad ponendam æqualitatem in contractibus, emptionibus, & venditionibus, ad non adulterandas pecunias, ad seruanda iura bellorum, fœderum, induciarum, seruitutum, manumissionum, & postliminiorum, ad non turbandos eos, qui sedes occupant, ciuitates construxerant, & loca muniterant. Omnia igitur hæc præcepta dicimus spectare ad ius, & legem gentium. Præcipuè verò spectant ad ius, & legem gentium ea, quæ posita diuisione terrarum, & gentium, vnaquæque gens seruare debet cum alijs gentibus, qualia sunt immunitates legatorum, non lædere hostem tempore induciarum &c. ideoque qui hæc præcepta violant propriissimè dicuntur violare ius, & legem gentium.

13. Probat hęc explicatio. Nam cõsonat

nominiſus explicatis, & diſtinguit inter ſe omnia, quæ iuxta communem modum loquendi dicuntur eſſe de lege naturali, ac de lege gentium. Primò eſt conformis nominiſus explicatis. Nam congruè lex naturalis vocatur, quæ obligat proximè, poſitis puris naturalibus; lex gentium dicitur, quæ proximè obligat ſolum poſt introductas conſuetudines gentium. Secundo diſtinguit inter ſe omnia, quæ iuxta communem modum loquendi dicuntur eſſe de iure, ſeu lege naturali, ac de iure, ſeu lege gentium. Communiter enim dicitur omnia præcepta decalogi eſſe de iure, ſeu lege naturali; præcepta verò non violandi immunitates legatorum, non mutandi terminos poſſeſſionum, non adulterandi pecunias &c. eſſe de iure, ſeu lege gentium, & non ex alia ratione, niſi quia eorum proxima obligatio ſupponit conſuetudines gentium.

14. Inferitur primò ſolutio quæſtionis in titulo propoſitæ, in qua quaeritur, vtrum ius gentium diſtinguatur totaliter à iure naturali. Dicendum, quod diſtinguitur totaliter à iure naturali ſpecificè ſumpto, ſed non diſtinguitur totaliter à iure naturali genericè ſumpto, cum in illo magna ex parte includatur; ſiquidem ius gentium continet multa præcepta naturalia genericè, cum ſit de rebus non indifferentibus, ſed quæ exigunt prohiberi, vel præcipi.

15. Inferitur ſecundo ius naturale genericè, non ſolum in quantum ſignificat legem, ſed etiam in quantum ſignificat ius adiuuum, atque paſſiuum, diuidi in ius naturale ſpecificè, & in ius gentium. Probatum: nam ius, quod habet vnusquique ad vim vi repellendam eſt commune omnibus animalibus, cum omnia animalia naturali inſtinctu cognoscant vim eſſe repellendam: ergo eſt naturale ſpecificè iuxta tertiam ſententiam. E conuerſo ius, vt ſeruetur æqualitas in commutationibus, & contractibus, eſt proprium gentium humanarum: ergo eſt ius gentium. Rurſus ius, quod habet vnusquique, ne lædatur in vita, in fama, & in membris corporis, ne impediatur à mouendis ſuis membris &c. conuenit proximè hominibus ab ipſa conditione naturæ antecederet ad conſuetudines introductas à gentibus: ergo eſt ius naturale ſpecificè iuxta quartam ſententiam. At iura, quæ habet vnusquique ad hoc, vt ſeruetur æqualitas in contractibus emptionis, venditionis &c. obligant proximè ſolum, poſita conſuetudine à gentibus introducta faciendi tales contractus: ergo iuxta quartam opinionem ſunt de iure gentium. Plura, quæ ſunt de iure gentium enumerat Iuriſconſultus ff. de iuſtitia, & iure, dicens. *Ex hoc iure gentium introducta ſunt bella, diſcrete gentes, regna condita, dominia diſtineta, agris termini poſſi, adificia collocata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes conſti-*

*tuta, exceptis quibusdam, quæ à iure civili introducta ſunt.*

16. Inferitur tertio, quid ſit ius civile, & quo pacto ſe habeat ad ius gentium. Dicendum, quod ſicut ius naturale, & ius gentium eſt, quod eſt commune omnibus gentibus, ſic ius civile eſt, quod non eſt commune omnibus gentibus, ſed eſt proprium alicuius tantum gentis, vel ciuitatis. Hinc ſequitur ius civile totaliter diſtingui à iure naturali genericè, & eſſe totaliter poſitiuum. Ratio eſt, quia ius naturale genericè obligat vbique, & eſt commune omnibus gentibus; ius civile non obligat vbique, nec eſt commune omnibus gentibus; ergo &c. Licet autem omnes gentes, & ciuitates habeant ſingulæ ſuum ius civile, tamen ius civile per antonomiaſtam vocatur ius commune populi Romani, vt dicitur inſtitutis de iure naturali, gentium, & civili §. ſed ius quidem.

17. Inferitur quarto ius primo poſſe diuidi in naturale, & poſitiuum, diuinum, & humanum. Ius naturale poſſe diuidi in naturale ſpecificè, & in ius gentium; ius poſitiuum humanum poſſe diuidi in ius gentium (ſed enim aliquid ius gentium poſitiuum) in ius civile, & ius canonicum. Eſt autem ius canonicum, quod Eccleſia ſtatuit in ordine ad finem ſupernaturalem.

18. Ad arguendum in contrarium patet ex dictis. Ius enim diuiditur in naturale ſpecificè, gentium, & civile; ſed ius gentium totaliter diſtinguitur à iure naturali ſpecificè, licet non totaliter diſtinguatur à iure naturali genericè: ergo &c.

## QVÆSTIO CLXII.

*Vtrum ius debeat ſpecialiter diuidi in paternum, dominatum, & coniugale?*

*S. Th. quæſt. 57. art. 4. 2. 2.*

1. Videtur, quod non: primo quia ſi ius ſpecialiter diuideretur in paternum, quod intercedit inter patrem, & filium; dominatum, quod intercedit inter dominum, & ſeruum; & coniugale, quod intercedit inter maritum, & vxorem, deberet etiam ſpecialiter diuidi in militare, quod intercedit inter milites, ſacerdotale, quod intercedit inter ſacerdotes, & in plura alia, quæ intercedunt inter varias conditiones hominum; ſed non diuiditur ſpecialiter in hæc; ergo &c.

2. Secundo eatenus ius deberet ſpecialiter diuidi in paternum, dominatum, & coniugale, quatenus inter patrem, & filium, dominum, & ſeruum, maritum, & vxorem, non daretur ius, & iuſtitia ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid; ſed inter patrem, & filium datur ius, & iuſtitia; ergo &c. Probatum non.